



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] liceat mutuo accipere pecuniam sub vsura? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

consumptio: & talia habent vsum fructum, sicut domus, & ager, & alia huiusmodi. Et ideo si quis domum alterius, vel agrum per vsuram extorsisset, non solum teneretur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus: & ideo ei debentur.

Ad primum ergo dicendum, quod radix non solum habet rationem materiam sicut pecunia vsuraria, sed habet etiam aliquam rationem causam actiue, in quantum administrat nutrimentum. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod possessiones, quæ de vsuris sunt comparatæ, non sunt eorum, quorum sunt vsuræ, sed illorum qui eas emerunt: sunt tamen obligatæ illis à quibus fuerunt vsuræ acceptæ, sicut & alia bona vsurarij. Et ideo non præcipitur, quod assignentur illæ possessiones his, à quibus fuerunt acceptæ vsuræ: quia forte plus valent, quàm vsuræ, quas dederunt. Sed præcipitur quod vendantur possessiones, & earum pretia restituantur, scilicet secundum quantitatem vsuræ acceptæ.

Ad tertium dicendum, quod illud quod acquiritur de pecunia vsuraria, debetur quidem acquirenti, non propter pecuniam vsurariam datam, sicut propter causam instrumentalem; sed propter suam industriam, sicut propter causam principalem. Et ideo plus iuris habet in re acquisita de pecunia vsuraria, quàm in ipsa pecunia vsuraria.

ARTIC. IV.

Utrum liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod non liceat pecuniam accipere mutuo sub vsura. Dicit enim Apostolus. Rom. 1. quod digni sunt mortem non solum qui faciunt peccata, sed etiam qui consentiunt facientibus. Sed ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, consentit vsurario in suo peccato, & præbet ei occasionem peccandi. Ergo etiã ipse peccat.

420
3. di. 37.
a. 6. ad 6
Et ma. 9.
13. ar. 4.
ad 17. &
19. & op.
21. q. 3. fi.
& opus.
73. c. 17.

Q 3 ¶ 2 Præ-

¶ 2 Præterea, Pro nullo commo temporali debet aliquis alteri quamcumque occasionem præbere peccandi: hoc enim pertinet ad rationem scandali actiui, quod semper est peccatum, vt supra * dictum est. Sed ille qui petit mutuum ab vsurario, expresse dat ei occasionem peccandi. Ergo pro nullo commo temporali excusatur.

¶ 3 Præterea, Non minor videtur esse necessitas quandoque deponendi pecuniam suam apud vsurarium, quàm mutuum accipiendi ab ipso. Sed deponere pecuniam apud vsurarium, omnino videtur esse illicitum: sicut illicitum esset deponere gladium apud furiosum, vel virginem committere luxurioso, seu cibum guloso. Ergo neque licitum est accipere mutuum ab vsurario.

SED contra, Ille qui iniuriam patitur, non peccat, secundum * Philosophum in 5. Ethic. Vnde iustitia non est media inter duo vitia, vt ibidem † dicitur. Sed vsurarius peccat, in quantum facit iniustitiam, accipienti mutuum sub vsuris. Ergo ille qui accipit mutuum sub vsuris, non peccat.

RESPONDEO dicendum, quod inducere hominem ad peccandum nullo modo licet: vti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est, quia & Deus vtitur omnibus peccatis ad aliquod bonum. Ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum, vt dicitur in Bnchi. * Et idem † Aug. Publicoræ querenti, vtrum liceret vti iuramento eius, qui per falsos deos iurat, in quo manifestè peccat, eis diuinam reuerentiam adhibens: respondet, quod qui vtitur fide illius, qui per falsos deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia iurauit, sed pacto eius bono, quo fidem seruauit: si tamen induceret eum ad iurandum per falsos deos, peccaret. Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & vsuras exerceat, mutuum accipere sub vsuris, propter

* c. 11. 2
me. 20. 5.
† l. 5. c. 5.
declinan
do ad fr.
80. 5.

* e. 11. 3
† Ep. 154
no longe
a pr. 5. 2.

pter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur: exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael, Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro, vt dicitur Ierem. 41.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, non consentit in peccatum vsurarij, sed vitur eo, nec placet ei vsurarum acceptio, sed mutuatio, quæ est bona.

Ad secundum dicendum, quod ille qui accipit pecuniam mutuo sub vsuris, non dat occasionem vsurario vsuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem vsurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui: vnde scandalum passiuum ex parte sua est, non autem actiuum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiusmodi scandalum passiuum debet alius à mutuo petendo desistere, si indigeat: quia huiusmodi passiuum scandalum non prouenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia.

Ad tertium dicendum, quod si quis committeret pecuniam suam vsurario non habenti aliàs vnde vsuras exerceret; vel hac intentione committeret, vt inde copiosius per vsuram lucraretur: daret materiam peccandi: vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario aliàs habenti vnde vsuras exercet, pecuniam suam committat, vt tutius seruetur: non peccat, sed vitur homine peccatore ad bonum.

QVÆST. LXXIX.

De integralibus iustitiæ partibus, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de partibus quasi integralibus iustitiæ, quæ sunt bonum facere, & à malo declinare: & de vitijs oppositis.

¶ Circa quod quærentur quatuor.

¶ Primo, vtum duo prædicta, sint partes iustitiæ?

Q 4 ¶ Se-